1693
16
151
34-6-C-13

PRO STVDIORVM RENOVATIONE

ORATIO

PAVLI MANFREDI

HABITA

In Sacello Sapientiæ Romanæ die S. Lucæ.

Coram Illuſtriſs. DD. Aduocatis Conſiſtorialibus, DD. Lectoribus, & Eruditorum, ac Studentium cætu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Principi

FRANCISCO IVDICE

S. R. E. Cardinali Ampliſſimo

DICATA

ROMÆ, Typis Reu. Cameræ Apoſtolicæ 1693.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

DEcebat Te, purpurate Princeps, iſthæc ſtudiorum Proluſio: Debetur enim virtutis CARDINI, *Scientiarum tutela. Et iure literarum laus* IVDICI *ſiſtitur erudito. Encomia Sapientiæ illuſtrare propoſui, ſed quod Tui Nomen geſtat in fronte, gliſcit illuſtre. Doctrinarum eſt decus, Tui ſubeſſe Patrocinio, & hac ſpecioſa ſui laude,*

Virtus ſuſcipit incrementum. Viue diù felix Princeps Eminentiſſime Lucinæ, Palladis, & Dignitatis ornamento: Et potentiſſimæ Tui ſubditus clientelæ, quam perennem imploro, fac, vt felix & ipſe viuam.

Em. Tuæ

Addictiſſimus, & obſequentiſſimus Famulus

Paulus Manfredus.

ORATIO.

SI mihi, licet impare ſtylo, in hoc ampliſſimo loco in laudem literarum oraturo, diſſertam Ciceronis facundiam, vel aureas Demoſthenis catenas, optata concederet fortuna: Nec ſatis auditorum meorum mentes vincirent catenæ, nec æquè, vel mirabilis, eloquentia propoſitum impleret argumentum. Si etenim excedit humanæ mentis captum, quod vobis hodie præconizare propoſui: Id fortaſſe muneris implebunt, etſi ornatè percurrant, linguæ imbecillis officia? Aſiaticæ facundiæ Poteſtates huc itaque Vos appello. Aurea Gręcorum dicendi flumina, huc Vos inuito. Fundite Vos encomia literarum, & ſtudia laudandi prouinciam, quam humeri noſtri non ſubſtinent, ſubite Vos. Sed incaſſum à barbaris armis iamdudùm deuaſtata Greciæ lycea inuoco, & inermes voces noſtras intelligo prò tanti operis complemento. Eia tamen, nec tepeſcat animus, nec frigeant præcordia, nec terreat rei magnitudo. Satis demandatum impleuiſſe munus, laudaſſe Doctrinas, ad illas torpentes iuuenum animos excitaſſe, mihi perſuaſerim: ſi ſtudia, & literas, honorem, vtilitatem, oblectamentum ſibi gignere oſtendero: Quod vobis, vt argumentum orationis noſtræ, breuibus exponere iam aggredior.

Eò tendit Oratio, vt iuuenum mentes, validis imbutæ argumentis, auido literarum rapiantur ardore, quas perterritas, & refractarias impingit laboris horror. Muſarum contubernium arduum prærupto iugo, renuunt conſcendere. Herculis Muſagetæ templi Muſarum præſidis clauam, quæ ſudoribus adipiſcendæ virtutis eſt ſymbolum, tractare abhorrent. Iam ſcio. Iam intelligo. Sed deſides animos, lepido ſatis, ac ingenioſo ſcommate Socratis; læuigare non dubito. Cupienti cuidam ire ad Olympicos ludos, ſed itineris labore deterrito: Cum domi (dixit Socrates) ſæpènumero totam penè diem, vel deliciæ, vel ſanitatis ergo, & ante prandium, & ante cœnam deambulando impendas, ſi domeſticas ambulationes proferas ad quinque, ſexue dies, facilè nulloque inſolito labore peruenies Olympiam. Heù, non modo facilis deſcenſus Auerni, verùm facilior aſcenſus Olympi. Erubeſcerem, credite, ſi in vos, Auditores, dirigere perſtringerer declamationem huius Socratici conſilij commentatricem. Si quid (iuſtè conqueritur Licoſthenes) ſi quid honeſtæ rei gratia periculi, diſpendij, aut laboris ſuſcipiendum eſt, excuſamus, detrectamus, horremus: Cum frequenter, vltro in rebus nihili (ne dicam turpibus) plus impendimus; Ita quidem (egregiè ad rem noſtram) inuitati ad ſtudia literarum, excuſant valetudinem, inſomnium, impendia librorum, cum interim totam noctem ludant alea, potatione contrahant febrim, podagram, hydropem, lippitudinem; ſcortatione paralyſim, aut ſca-

154

ſcabiem nouam. Sed rediens orandi, vndè diſceſſit occaſio; minimus ſtudiorum labor, iuuenes ornatiſſimi, non febrim, non lippitudinem, non ſcabiem nouam, ſed honorem, voluptates, vtilitatem, promittit, concedit, profundit.

At quia veritates non tantùm prolatas, ſed probatas elata cupiunt ingenia veſtra. Quem latet (amabo) ſummis honoribus viros eruditos, ſeu veterum memorias, aut recentiorum annalia ſi percurrimus, extitiſſe inſignitos? Funditus euertit, diruitque Thebas Alexandri victoris bellicus impetus, ſed vnicam Pindari domum ſeruat illæſam. Conſulares faſces, ò quanto faſtù, à Senatoribus Vrbis ſemel ambitos, ſola contemplatione virtutis, à Domitiano, ter Silius Italicus obtinuit. Et Gallus Cornelius Romani Populi Præfecturam. Poſſidonium, ægrotantem in tuguriolo Athenis Magnus Pompeius ſalutaturus, oblitus aſiaticæ gloriæ, quam victus illi Mithridates reliquerat, dimiſſo imperiali paludamento, & lictoribus extra ſiſtentibus, humili veneratione, penè dixerim, adorauit. Num, ſic ſalutauit Demiurgos? Conuocatus Io. Campegius ad publicam Cathedram Patauinam, quod Antenoris lycæo iam eſt propinquus fama virtutis inſonat aures ciuium, en illicò accurrente Scholarium cœtu, Lectorum Collegio, & Populi acclamatione, quaſi triumphali pompa recipitur. Numquid ſic excipiuntur ſtudij moderatores? Tranſituro Florentia Hermolao Barbaro, licet articulari dolore torqueretur acriter, omnium primus, magno vi-

ro, Magnus Dux Laurentius Mediceus occurrit; numquid alteri Principi ſic occurriſſet? Supremo Florentinæ Reipublicæ Magiſtratui vir optimus eſt adſcribendus; conſcriptis Patribus, deſpectis Principibus, poeta celebris Dantes Aligherius arridet. Numquid deerant inter nobiliores innumeri? Eh' talia ſunt à literis parti honoris inconcuſſa teſtimonia.

Sed deficeret me dies, & dicentem potius, & vox, & vires, quàm dicendorum copia, ſi nobiles metamorphoſes mens eſſet adducere, quibus literarum poteſtas in ſplendidiſſimas dignitates tenuioris fortunæ viros traduxit. Inter Præſules, Byzantij, Cyrum Panopolitam literis ornatiſſimum, à Theodoſio, & à Pio Secundo Romæ Ioannem Campanum ſufficiat numeraſſe pro mille, quos proponere non ſuppetit otium. Inter Eccleſiæ Cardines Beſſarion in Oriente, Thomas Volcherus in Anglia, Melchior Kleſſelius in Germania, Arnaldus Oſſatus in Gallia, Franciſcus Toletus in Hiſpania, Stephanus Bonuccius, & Cæſar Baronius in Italia, mentiri vetant. Ad Supremum Eccleſiæ thronum vehemente afflatu virtutis elatorum, longa remotiores æui cohorte, plura, & inſignia hiſtoriæ ſuggerunt huiuſce veritatis exempla. Proſtituat ignominijs, deſpiciendis natalibus, inuida fortuna clariſſima ingenia, proſtituat: Nam virtus antagoniſta, fortuna inuita, clarioribus vtique ſplendoribus illuſtrabit: Sic etenim Cicero natus humiliter Arpini literarum lumine Romæ Conſul illuxit: Sic Sadrageſillus, ex Pedagogo Dagoberti, fulſit indè

Dux

Dux Aquitaniæ. Sic Iſmael Sophus ex agreſte tugurio, quaſi noua Academia ſuæ doctrinæ fama ſplendeſcens, primo vniuerſæ gentis obſequium, indè Perſarum ſibi adſciuit Imperium.

Veritates ſunt iſtæ, quas vobis, Auditores, enumero, quæ labilis, fugaciſque vocis, non merentur infortunium ſubire, ſed iuuenum perpetuo cordibus inhærere. Quis itaque mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones mei? Quis mihi det, vt exharentur in libro ſtylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice? Det virtus, dent ſtudia, det ſapientia; nam dare ſunt potis. Quod dent literæ, vt meæ voces ſculpantur in ſilice, dubium vetat Scipio Africanus, qui virtutis æſtimatione, poſuit Ennij Statuam proprium ſupra ſepulchrum. Vetat Marcus Antonius, qui Frontonis phyloſophi ſculptam Imaginem erexit in Romano foro; Vetant tercentum marmorea ſimulacra Demetrij, quæ illis erecta fuerunt Athenis. Teſtantur itaque hanc veritatem, & ipſa marmora: Verum, cum ſegnius irritent animum demiſſa per aures; Quam quę ſunt oculis ſubiecta fidelibus; Vos, & noſtræ memoriæ, & ipſis noſtris oculis ſubiecta, loquimini huius Archilycæi ſaxa, Romanæ Sapientiæ marmora glorioſis veſtrorum literatorum trophæis inſignita; Et ecce iam iam loquuntur. Intueor in hiſce ſaxis inſculptam Pomponij Læti memoriam, exprimentem venerationem, qua Pontificis aulici tantum Virum proſequebantur, vt in eius funere, & parentalibus omnes adſtiterint purpurea veſte. Illuc inſpicio pom-

pam.

pam, qua Succorum Regina, Lectores Romanos auditura, ſapientiæ lycæum, & eius literatos honeſtauit. Altero in marmore Alexandrum Septimum Summum Pontificem contemplor, qui cum toto Cardinalium Collegio, Lectores, & ſcientias in hac Vniuerſitate, ſublimi conſeſſu decorauit. Et in poſtremo lapide Faſti Romani ſtudij leguntur, in quibus ex hac Vniuerſitate Lectores quinquaginta, & amplius ad ſacras Tyaras electi, ſexdecim ad Cardinalatum promoti, & vnus ad Pontificatum elatus, arte mirabili ſunt expreſſi. Et ambigètis adhuc à literis honores emergere?

Verum non vltro cogar laboris impendere, probaturus, quod literarum ſtudia delectent. Amæniſſima vireta ſtipata floribus, & virentibus arbuſculis ordinata. Elegans Pinnacothæca famoſis pictorum tabulis, & Phidiæ ſimulacris, gemmatiſque ornamentis inſtructa: ſtupidum oblectamentum offerunt intuentibus; ſed ſi cæcus illuc ingreditur, nihil delectat. Lyræ, Citharæ, Cymbali, & Tubæ muſicus concentus harmonicum melos auribus influit, faſcinat auditum: Sed ſi ſurdus exponitur, non mouet animum. Cæcus, quem dico, Surdus, quem nuncupo, eſt homo idiota, inliteratus, ignarus, qui alios cæcos ducens, trahit in foueam, & eſt tanquam aſinus ad lyram. Videre, audire, intelligere, ſapientis eſt: Itaque delectari, literati eſt munus: Et munus equidem non vulgare: non etenim in rerum externo margine ſiſtitur; at intima contemplans,

re-

rerumque naturam, & eſſentiam expendens, eo præſtantiorem voluptatem haurit, quò ſublimiores corporeis, interni ſunt ſenſus. Oh, ſi ſapientia (quam bene ad rem exclamabat Cicero) Oh ſi ſapientia oculis videri poſſet, omnes in ſui amorem compelleret. 5. de fin. Nè doleas tamen, quæſo, nè doleas amplius Arpinas Orator; ſapientia etenim ipſis hic oculis videri poteſt. Contemplare, ſi placet, eruditos Romani Lycæi Profeſſores, qui vel ipſa facie, vel ſingulis actibus literas ſpirant, ſapientiam delineatam componunt; nè doleas amplius. In hoc auguſto literarum conuentu delectabile ſimulacrum virtutis deſigno. Iſtud & diù, noctuque contemplemini, rogo, Iuuenes ornatiſsimi, & quæ ſint deliciæ virtutis, intelligetis. Et oh qualis voluptas rependitur ex ſtudijs, ex literis! Quid, Auditores dicite; quid delectabile magis imperio? Adeout Cæſaris opinione tyrannica, ſi violare licet ius vnquam, regnandi gratia permittitur. Tantæ delectationis extat imperandi libido. Et tanta delectatio, literarum, & ſapientiæ comparata voluptati, vileſcit. Interrogatus olim Robertus Siciliæ Rex, ſi vel Regnum, vel literas, quas ad miraculum callebat, cogeretur dimittere, quid ex alterutro deſpiceret, Sapientiæ dulcedine pellectus, abſolutè reſpondit, potiùs Regnum, quàm literas. Oh maximæ Sapientium deliciæ, quas non vnico tantùm Regno, ſed Orbis imperio præferebat Cato; dum inter ardua Romani Senatus negocia; non vaſtitatem dominij contemplari, non populorum tributa, non

bar-

barbarorum Regum erga Rempublicam latinam obſequia, ſed græcos legere libros magis oblectabatur.

Miſer quid agis? Cur adhuc viuens, delicias hominum riſu deſpiciens, in ſepulchro te condis, lurido in antro, arida inter oſſa, horrida inter ſpectra, fœtida inter ſceleta. Infelix Cur? Quod Democritum interpello,iam intelligitis. Miſer quid agis? Cur proprijs commodis infenſus, veſtes exuis, grata cibaria reſpuis, ſimplici riuo indulges ſiti, conſortia fugis, munera ſpernis, Reges deſpicis obſequentes, & anguſti dolij carcere, martyrio voluntario te conficis? Diogenes eſt, quem nuncupo. Cur auri, argentique theſauros in mare profundis, & ex diuite mendicum, ex felici te infelicem, voluntariè, nè dicam ineptè conſtituis, ò Crates Thebanus? Adeo dulci faſcino virtutis philoſophando compellimur, (reſpondentes iam audio) vt quod vulgus hominum delicias audit, infortunium ſtolidiſſimum intelligamus: Et verum ſolatium ex doctrinarum contemplatione rependamus. Hactenùs audiuiſtis, quod animi deſideria ſapientiæ, & literæ dulcedine ſaturant; ne pigeat audire, quod corporis adhuc appetitum delectant. Carolus Quintus Imperator in Pragenſem Vniuerſitatem diuertens, ibique plures horas in audiendis Doctorum diſputationibus impendens, cùm ab aulicis, tædio confectis moneretur, iam cænandi horam exceſſiſſe, magnificè reſpondiſſe fertur: Ite, Vos, ite cænaturi, nam lautiore menſa, potioribus cibis eſt ſaturus, iam cænauit Imperator. Et Paradoxon fortaſſe

taſſe creditis adhuc, literarum oblectamentum eſſe deleƈtabiliùs Imperio? Felices animæ, quibus hæc cognoſcere primum; Inque domos ſuperas pandere cura fuit. Felices humanæ gentes, ſi hæc omnes agnoſcerent. Ignoſcite itaque mihi hodie, ſi veritati vobis ignotæ non fidens, poſtremo ſtimulo, vtilitatis dico, quæ reſultat ex literis ad iſtarum amorem animos veſtros ſollicito.

Nec tamen nobilibus mentibus auditorum vtilitatem mercenariam proponere intendit Oratio, quamuis & iſtam ſuis ſtudia ferant alumnis. Glorioſa fuere Veſpaſiani trophæa, ſingulis publicis Magiſtris duo millia, & quingenta ſcuta, Rethoribus decem millia, duodecim millia Medicis erogaſſe in ſtipendium. Verum potioris vtilitatis lucrum ex literis propono, Politicum nempè, Ciuile, & Morale.

Studeant Principes, æqua lance populis iuſtitiam regere: Sacras leges, & Iura ſeruent illibata conſtanter: Subditorum ægeſtati conſulant. Si literarum cultores hæc non celebrant, promerita laus perit cum vita. Bellica inter pericula, ſanguinis æque, ac ſudoris torrentes effundat nouus Achilles; ſilentibus Hiſtoricis, & Chroniſtis, vltrò quàm vilis homuncio gloriæ non obtinet. Vixere fortes ante Agamennona multi, ſed omnes illacrymabiles vrgentur, carent quia Vate ſacro, doleret Lyricus. Metalla, Marmora, Coloſſi, Amphytheatra, Pyramides, quibus memorias, geſta, triumphos æternaſſe credidere Monarchæ; Paſtus incendij fortuitj; ludus quatientis terræmotus,

motus ; ædaciſue ſaltèm temporis extant ſæculares exuuiæ: Sed quæ literatis monumentis, vel Liuij, vel Taciti concredita fuerunt, æternum viuent. Pariunt itaque literæ vtilitatem Politicam.

Oxonium, Cantabrigia, Conimbria, Monſpelium, Salmantica, pluraque obſcuri nominis oppida, & loca, nec fama, nec populi frequentia pollerent, niſi fouiſſent inſignes Academias, quarum celebritate gliſcit in illis, & populatio, & fama. Pariunt itaque literæ vtilitatem Ciuilem.

Otioſa iuuentus in ludis, conuerſationibus, curioſitate, tumultibus educata, omni ferociſſima beſtia immanior eſt; Exclamabat Diuus Chriſoſtomus. Otia tamen ſi tollas periere cupidinis arcus, & cum ſagittis impuris vitiorum omnium diſperguntur armenta. Sed dicite Auditores, quæ potior ingenuos homines, & non mechanica ingenia, quæ potior, dico, quam ſtudiorum vindicabit ab otio, quam literarum occupabit occaſio? In ſudore ſui vultus turba famelica, & plebea veſcitur pane ſuo, nec, cara ſibi, temporis otioſa terit momenta: ſola nobilis, & ciuilis iuuentus commodis illecebris, & diuitiarum delicijs allecta, nulla ægeſtate ſollicita, vel animum peruertens, quietem publicam interturbat, vel intrinſecos ſibi mores emollit, contaminat, niſi literarum balſamum mores condiat, feritatem demulceat, animos componat. Quo enim (prudentiſſimè ſcribebat Philippus Cominæus) quo enim quiſquis, magis quid deceat intelligit, eo magis

 158

ipſum neglecti pudet officij; Et etiam ſi non omninò ſibi temperet à malè factis, tamen ne planè modum excedat, cauet. Pariunt itaque litteræ vtilitatem moralem.

Quid, ergo (cum Cicerone loquor) per Deos immortales optabilius Sapientia? Quid præſtantius? Quid homini melius? Quid in homine dignius?

Audiuiſtis, quod ego expoſui. Intelligitis, quod Vos deceat. Eligite, quod Vobis placet.

DIXI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE